

dalum. Hoc autem continget praesertim cum isti sunt in virtute firmissimi vel in peccato habituati. Exemplum habes in eo qui blasphemat coram monialibus vel coram opificibus qui jugiter blasphemare soleant.

233. IV. Si quis praevidet ex actione sibi licita, sed specie tenuis mala, ex. gr. violatione abstinentiae, aliquem scandalum passurum esse, debet eam omittere vel videntes monere de justa actionis suae ratione; quodsi neutrum facere potest sine gravi incommodo, jam de alterius peccato eurare non debet. Patet ex obligatione quam caritas imponit, sed absque gravi incommodo nostro, vitandi spiritualem proximi ruinam.

V. Actionem in se bonam, nec specie tenuis malam, licet ponere ex quavis causa, etiam non gravi, necessitatis vel utilitatis, etiamsi proximus praevidetur hac occasione peccaturus. Quoniam enim hujusmodi actio modicum confert ad peccatum proximi, qui fere unice e propria malitia peccat, levius etiam causa proportionem habet cum talis causae positione. Ita licet petere mutuum ab usurario unice ad lucrum negotiatione quaerendum; petere, etiam ex mera devotione, sacramenta a ministro qui ea non sine peccato ministraturus est, quando nullus alias commode adiri potest, etc.

Idem absque causa justa non licet, quia caritate jubemur nullam dare occasionem peccatis alienis, si facile possumus. Attamen, quando res in se bona petitur ab eo qui jam actu ad peccandum paratus est, ex. gr. pecunia ad usus vanos ab usurario, probabilius nonnisi leve peccatum committitur, ut cum multis AA. opinatur Lugo (de Just. et J. disp. 25 n. 235), quia damnum quod ita proximo infertur modicum est, cum parum noceat ei qui jam ex parte sua voluntatem malam habet et illam alibi exsecutioni mandavit, proponere occasionem in qua, praeter intentionem meam, illam exsequatur; reapse scandalum totum provenit e malitia alterius qui posset facillime, si vellet, peccatum vitare. S. Alph. tamen (n. 47) pro gravi culpa stat, eo quod opinatur grave nocumentum spirituale alteri inferri.

234. VI. Res praecepta numquam sunt omittendae propter scandalum pharisaeicum. Propter scandalum autem pusillorum, plures opinantur omittenda esse, saltem una vel altera vice, praecpta positiva, ex. gr. Missae auditionem a muliere quae praevidet se in ecclesia ab aliquo determinato viro turpiter concupitumiri. Hanc sententiam S. Alph. (l. 3. n. 51) probabiliorem censet, eo quod praecptum generale de vitando scando proximi, cum sit naturale, praferendum est praecptis positivis. Alii, quorum sententiam idem S. Doctor (l. c.) probabi-

lem dicit, tenent praecpta etiam positiva non desinere ob scandalum quod sit mere acceptum: his astipulamur. Practice igitur mulier, de qua in exemplo dato, potest Sacrum vel adire vel omittere.

VII. Licet probabilius apponere alteri occasionem peccandi, dummodo id fiat ob justam causam: nam nihil aliud fit quam ponere actum indiferentem, permittendo ob rationem sufficientem, peccatum alienum, quod alioquin nullatenus cum hac permissione per se conectitur. Ita licet marito vel hero dare occasionem adulterii vel furti uxori vel famulo de cuius fide dubitat: nam ipsius maxime interest eam fidem habere exploratam. (S. Alph. n. 58) Plures tamen contradicunt, immerito existimantes in his haberi positivam inductionem ad peccatum, quae sit intrinsece mala.

VIII. Licet probabilius suadere minus malum ei qui ad majus faciendum omnino determinatus est. Nam, quando aliquis nullo modo (ut supponitur) a malo patrando deterrei potest, suadere minus malum habet rationem boni. Ideo determinato ad adulterium suadere licet fornicationem, determinato ad homicidium consuli potest furtum. (S. Alph. n. 57)

§ 6. DE COOPERATIONE IN GENERE

235. NOTIONES. Cooperatio est concursus cum alio principaliter agente. Manifestum est cooperationem ad peccatum alienum, quam unice intuentur Theologi Morales, semper referri ad peccata externa.

Cooperatio dividitur praecipue:

1º In *formalem* et *materiale*. Prior ea est qua quis tum ad intentionem, tum ad opus externum principalis agentis concurrit; posterior, qua quis concurrit tantum ad opus externum. (S. Alph. n. 63; D'Annib. I. n. 174)

2º In *proximam* et *remotam*, prout artior vel minus arta conexio habetur inter actionem principalem et secundariam. Pressius id definiri nequit, sed prudenti arbitrio in variis casibus determinandum est.

ASSERTA. I. Numquam licet cooperatio formalis cum alterius peccato.

Ratio patet: concursus cum peccantis intentione necessario supponit pravam voluntatem.

II. Cooperatio materialis semper illicita est, quando fit per opus in se malum, ex. gr. emendo rem furto sublatam cum animo eam habendi ut

suam. Nam actio de se prava talis manet, etiamsi, me cooperationem denegante, multi praesto essent qui eamdem paeberent. (1)

III. Cooperatio materialis licita est, quando praestatur actione in se bona vel saltem indifferenti et datur ratio sufficiens ut peccatum alterius ex ea secuturum, permittere possim, seu, quod in idem recidit, quando habetur incommodum relative grave in deneganda cooperatione.

Haec mera applicatio est principii statuti n. 14.

IV. Ad cohonestandam cooperationem materialem eo gravior causa requiritur quo :

1º Probabilis est alterum, denegata cooperatione, non esse peccatum, sive id nequeat, sive nolit. Ideo major causa requiritur ut carnes, die prohibita, paebeantur ei qui legem transgressurus sit in domo paterna quam in taberna.

2º Proprius conectitur actio cooperantis cum principali peccato. Ideo gravior ratio requiritur ut liceat ordinare characteres ad librum pravum imprimendum quam ut liceat ad eundem finem chartam paeeparare.

3º Gravius est peccatum ad quod concurritur, paesertim si laedit bonum commune vel jus innocentis. Ideo multo gravior causa requiritur ut quis adjuvetur ad stuprandam mulierem quam ad fornicandum. (Lehmk. I. n. 649)

§ 7. DE QUIBUSDAM SPECIEBUS SCANDALI VEL COOPERATIONIS.

236. Cum fere innumerae sint, paesertim nostris temporibus, utriusque hujus argumenti applicationes, paucas hinc subjiciemus quae ad solvendos multos alias casus, tamquam exempla, conducere queant ; scandalum autem cum cooperatione conjungemus eo quod magnam inter se similitudinem habent et saepe simul ex eadem occasione nascuntur.

I. De interventu catholicorum in funeribus civilibus.

1º Per se nullum peccatum admittunt comitantes funus quod pompa religiosa caret eo quod Ecclesia honorem christianaee sepulturae defuncto, ex. gr. ob suicidium, denegavit : ita enim officium mere civile seu obsequium humanitatis exhibetur.

2º Si funera sollemniter peraguntur absque caerimoniis religiosis

(1) Quandoque cooperatio quae fit per actum in se malum, puta ponendo partem ritus superstitionis, vocatur formalis : quae quaestio nominis est. Exemplum habes in resp. S. C. de Prop. Fide 2 Julii 1827. (Coll. P. F. n. 1731)

quia defunctus ita sepeliri voluit, per se non licet iis interesse ; immo etiam id graviter illicitum foret si, *in concretis adjunctis*, talis interventus communiter censeretur favor impiorum conatibus praestitus vel grave scandalum gigneret. Hinc ratio habenda est locorum et temporum. Nam facilis haec assistentia scandalum vel specie mala caret, et communiter tamquam obsequium mere civile habetur, in iis locis in quibus talia funera jam saepe peracta sunt et parum attenduntur. Id paesertim obtinet pro iis qui, propter rationem omnibus notam, puta cognitionis, amicitiae cum defuncto vel ejus familia, aegre abesse possunt. Vix autem scandalum deerit ubi talia funera rarius contingunt ideoque animos magis commovent, vel ubi cum apparatu extraordinario celebantur.

Eadem applicanda sunt quando defunctus se ante mortem cum Ecclesia reconciliavit, sed, ob aliquod testamentum antea factum vel perversem cognitorum voluntatem, hoc impio ritu effertur.

Ubi vero apponuntur feretro insignia massonica, vel massones, liberi cogitatores similesve cum vexillis suis interveniunt, funera necessario induunt rationem impiae manifestationis, ideoque per se graviter illicitum est iisdem interesse. Cfr. Epistolam Pii IX ad Arch. Paris. 26 Oct. 1865 (Act. S. S. t. 11. p. 218)

3º Quando interventus hujusmodi funeribus est per se graviter illicitus, potest tamen excusari ob incomoda gravia quae e denegato interventu imminent, paesertim ubi hanc rationem facile omnes agnoscere possunt. Sic enim patebit assistentiam mere materiale praestari ad gravia damna vitanda. Ita excusarentur milites a ducibus suis coacti, bajuli feretri qui, si officium suum recusarent, vitae suae subsidio privarentur, orphani a superioribus orphanotrophii adesse jussi, etc. Rarissime incomoda vere gravia timenda erunt viris qui, ob honestorem condicionem, minus a ceteris pendent : quare regulariter assistentiam suam funeribus scandalum grave daturis denegare debebunt.

Cfr. Berardi (Praxis Conf. nn. 166, 684) ; Villada (Cas. Consc. II. p. 103 seqq.) ; D'Annib. (I. n. 115) ; Aerntys (I. de Virt. theol. n. 8), etc.

237. II. De aedificandis templis haereticorum, idolorum, etc.

1º Si haec cooperatio ex adjunctis habetur ut favor ab operariis, architectis, etc. praestitus haereticis, numquam licet. Hoc autem facilis contingit ubi agitur de secta recens exorta.

2º In iis locis quibus nondum exstant haereticorum tempora, ut Romae, quando data est Instr. Card. Vicarii ad parochos Urbis (an. 1878), graviter peccant, saltem regulariter, " architecti, conductores, opificum domini qui curam et operam suscipiunt ad exstruendum et ornandum aliquod templum protestanticum. Quod ad ipsos vero mura-